

ANDREAS AL

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

PRINCEPS ARCHIEPISCOPUS PRA

13269
III
E COMITIBUS

SKARBEK ANKWICZ de POSLA, obedientia erga

SEDIS APOSTOLICAE PER INCLYTUM BOHEMIAE REGNUM, NEC NON PER CELEBER-
RIMAS BAMBERGENSEM, MISNENSEM ET RATISBONENSEM DIOECESES LEGATUS
NATUS, SUE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIUS INTIMUS
ACTUALIS, INCLYTI REGNI BOHEMIAE PRIMAS, INSIGNIS CAESAREI AUSTRIACI
ORDINIS LEOPOLDI MAGNAE CRUCIS EQUES, FIDELIS CAPITULI METROPOLITANI
OLOMUCENSIS CANONICUS, SS. THEOLOGIAE DOCTOR, PROTECTOR STUDIORUM,
NEC NON CAROLO-FERDINANDAE UNIVERSITATIS PRAGENSIS PERPETUUS

CANCELLARIUS &c. &c. &c.

INSTYTUT

WYDZIAŁ LITERACKICH PAN

LIOTEKA

ul. Nowy Świat 75
Tel. 26-69-83

A D

CLERUM SAECULAREM ET REGULAREM

POSTEAQUAM

ARCHIDIOECESIOS GUBERNATIONEM

AUSPICATUS EST.

PRAGAE BOHEMORUM MDCCCXXXIV.

PRINCE OF WALES

IN 1891

PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES, who was born on 21st June 1894, is the second son of King George V and Queen Mary. He is a member of the House of Windsor and is the first of the royal family to be born in the 20th century. He is a member of the Order of the Garter and the Order of the British Empire. He is also a member of the Order of the Crown of India and the Order of the Star of India. He is a member of the Order of the Star of the East and the Order of the Star of the South. He is a member of the Order of the Star of the North and the Order of the Star of the West. He is a member of the Order of the Star of the East and the Order of the Star of the South. He is a member of the Order of the Star of the North and the Order of the Star of the West.

PRINCE OF WALES

PRINCE OF WALES

PRINCE OF WALES

PRINCE OF WALES

PRINCE OF WALES

13 698

Gabinet
Filologiczny
Dr. G. Korbute
I.N.W.

Dilectissimi in Christo Fratres et Filii!

Quam non solum pia consuetudine, sed Mea etiam vocatione provocatus, in obedientia erga aeternum fidelium Animarum pretiosissimo Suo sanguine redemptarum Pastorem et summum Sacerdotem atque licet servus inutilis et humilis — in Communione tamen Cathedrae Petri, a) *qui quotidie in universa Ecclesia dicit: Tu es Christus Filius DEI vivi! et cujus vocis magisterio omnis lingua, quae confitetur Dominum, imbuitur* b) — ad Vos cunctos nunc Meos — praesentibus Litteris verba facio: plena in Misericordiam et Beneplacitum DEI fiducia et charitate apostolica omnibus precor, quod divus Paulus Corinthiis precatus fuit: *Gratia Vobis et Pax a DEO Patre Nostro et Domino JESU Christo!* c)

Inscrutabili sane judicio Domini et Salvatoris nostri, qui cum Ecclesia Sua Se futurum promisit usque ad consummationem saeculi, d) a mihi amantissimo Grege, quem per octodecim annorum et quod excurrit spatium, mihi regendum dederat, advocatus, cognato quidem, verum longe majori Gregi praefectus sum, quem ego, per Gratiam Domini JESU, e) et virtutem supervenientis Spiritus Sancti f) suffragantibus simul praeclaris studiis Illustrissimorum, Reverendissimorum ac Meritissimorum inclyti hujus Regni Episcoporum — quos verbis S. Pauli g) *Fratres et Cooperatores et Commilitones meos* salutare ausim — ad illam Metam dirigere et adducere desidero, quae sua sublimitate, magnificentia, affabilitate et consolatione cuncta Visibilia superat, cum sit Possessio Ipsius DEI, haereditas Sanctorum in aeterno DEI aspectu; *nam accessistis, inquit Apostolus h) ad Sion montem et civitatem DEI viventis Jerusalem coelestem et multorum millium Angelorum frequentiam et Ecclesiam Primitivorum, qui conscripti sunt in coelis et Judicem omnium DEUM et Spiritus justorum Perfectorum et Testamenti noni Mediatorem JESUM et Sanguinis asperersionem melius loquentem, quam Abel.*

Et quia pro Grege Mihi credito constitutus sum secundum immutabilem et perpetuo manentem utpote (testante apostolico Discipulo et tertio Successore Petri — Sancto Martyre Clemente) ab Ipso Christo aeterna Veritate stabilitam normam, per quam — legitima ordinatione et successione Episcoporum nunquam interrupta — respectu Credentium, omni disturbance ac perversae voluntati superbiorum spirituum praecavetur, *et ea, quae est ab Apostolis Traditio et Veritatis Praeconisatio pervenit usque ad nos, i)* ideo primum et maximum pastoralis sollicitudinis Meae verbum eo tendit: ut Vos omnes sine exceptione — justa mente, conscientia bona, et sincero animo, nec non spirituali gaudio, amore et confidentia uniti sitis Mecum Antistite Vestro vigeatque inter nos *Una una Fides mentium et Pietas actionum. Cum enim, ut St. Ignatius Martyrasseruit, k) Episcopo subjecti estis, ut JESU Christo, videmini mihi, non secundum homines, sed secundum JESUM Christum vivere, qui propter Vos mortuus est, ut credentes in mortem Ipsius, mori effugiatis.*

Quo propius Membrorum sanctificatorum Status et Ordo in Communitate DEI ad Praesulem seu Antistitem accedit: eo intimior, vivacior, efficacior et fidelior Spiritus et mentis unio cum eodem esse debet ad integrum finem assequendum.

Hanc unionem Dilectissimi! hanc filialem obedientiam et laetam Subjectionem, quam Dominus et Magister noster mandavit et cujus causa flagrantissimo intimae Suae Dilectionis ardore Pa-

a) St. Hieronym. Ep. 15. n. 2. ad Damas. Pap. b) St. Leo serm. 2. c) I Corinth. 1. 3. d) Matth. 28. 20. e) Act. 15. 11. f) Act. 1. 8. g) Philipp. 2. 25. h) Hebr. 12. — 22, 23, 24. i) St. Iraeneus adversus haer. I. 1. k) Epist. ad Trall. c. II et III.

trem rogavit, a) tantum abest, ut pro Jure Mihi competente exigere velim, quin potius paterno affectu et sincera confidentia a Vobis indubitanter expectem.

Et sicut Petrus in suis Successoribus regit Ecclesiam DEI, etsi alii multi vocati sunt in partem Sollicitudinis: ita per justam, religiosam et amore Spiritus Sancti procreatam promptissimam obedientiam et filialem Subjectionem erga visibile Caput Ecclesiae completur perfectio Subjectionis et obedientiae erga quemvis Episcopum, quem Spiritus Sanctus posuit, et cui Petrus dexteram dedit Societatis. b) Quare in Vestris peculiaribus seu extraordinariis orationibus nunquam obliviscamini omnibus Christianis catholicis in universo qua late patet terrarum orbe communem Patrem nostrum, qui zelando *zehum DEI accepit testamentum Sacerdotii aeterni*, c) GREGORIUM Papam XVI., ut Ipsum pro communibus supplicationibus nostris DEUS O. M. Sacrae Ecclesiae et Sedi apostolicae saluum semper ac incolumem conservare — atque non interrupto et nunc existente et in futurum per Christi Promissionem duraturo Triumpho — per longam annorum seriem laetificare dignetur! — et ut haec pietas, quam erga supremum in terris Christi Vicarium meamque humilitatem unanimiter exhibetis, fructum sui studii consequatur, misericordissimam DEI nostri Clementiam supplices obsecrate, ut in diebus nostris expugnet impugnantes nos, muniat Fidem Vestram, multiplicet Devotionem ac Dilectionem, augeat Pacem d).

Ne vero in incertum curratis, cum Sancto Paulo e) obsecro Vos Fratres per Nomen Domini nostri JESU Christi: ut id ipsum dicatis omnes et non sint in Vobis schismata — sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia — Fortes antiquo Serpenti resistite in illa Fide, quae, ut ait St. Leo (serm. I.) *Diabolum vincit et Captivorum ejus vincula dissolvit, quae erutos Mundo — inserit Coelo et adversus quam portae Inferni praevalere non possunt, cum tanta divinitus soliditate est munita, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas nec pagana potuerit superare perfidia.*

Attendite ad Indicia et characteres seu typos Temporis, quippe qui nos provocant ad serium cogitatum, ad vigilantiam indefessam, ad magnos labores. Procul dubio notus est Vobis turbidus clamor Conjuratorum adversus Dominum et Christum Ejus, et adhuc super coecam rabiem hostium Legis aeternae, a qua omne Bonum, omnis Virtus et Felicitas pendet, obstupescitis; aspernamini in tenebris perambulans negotium f), quod Fidem et Veritatem, Dignum et Justum, Aequum et Salutare suppressere ac penitus delere satagit — atque, si causas hujus inquietae vitae, harum ambagum et ferarum evagationum indagatis, nonne cuncti in unam eandemque sententiam abeatis: proximam causam Malorum esse solutionem illorum vinculorum, quibus hominis natura cum sua obstinata resistantia et voluntate, cum sua philantia seu libidinoso amore sui suisque perversis affectibus — naturali ac supernaturali-interno seu spirituali et externo ordini, Potentia DEI stabilito subjiciatur, ut sui abnegatione et obedientia ad Bona spiritualia sibi comparanda apta reddatur, ut per ignem diversarum tentationum purgetur, sapientia, justitia, aliisque virtutibus nobilitetur, et per Spiritum DEI renata justificetur et sanctificetur, quo tandem aeternae vitae, et nunquam periturae gloriae sese reddat participem?

Posteaquam ab infallibili Magisterio in Ecclesia per Spiritum Sanctum constituto Dubitatores aut prorsus Infideles se substrahere coeperunt, praecludebatur humanae Rationi amoenus et laetabundus Prospectus in aeterna Tabernacula, quem ipsi Fides apertum tribuit, atque inde — inde contigit, ut laboriosa et omni fructu carens argutatio de rebus maximi momenti ad hominem attinentibus principem locum obtineret — ut cum ethnica impudentia opiniones et figmenta superbiorum Spirituum, seu impie et nimis libere Sentientium, Loquentium et Scribentium tanquam nova et inaudita supra Evangelium exquisitissimis ad Coelum laudibus extollerentur eidemque praeferrentur — ut capti somniis suae et alienae phantasiae in Devia, ad aeternam perniciem ducentia deflecterent et crassissimis Erroribus, dummodo eleganter exponerentur, juramentum fidelitatis praestarent — ut ancipitem opinionem et constantem Veritatis certitudinem in cognitione — recte et cum clara Intellectus persuasione ab invicem discernere et determinare nequiverint — ut seriam et sanam doctrinam non sustinerent, sed ad sua desideria coacervarent sibi magistros — eleoqui facultate — prurientes auribus et a Veritate

a) Joan. 17. b) Galat. 2, 9. c) Machab. 2, 54. d) St. Leo serm. I. e) I. Corinth. 9, 26. f) Psalm. 90, 6.

quidem auditum averterent ad fabulas autem converterentur a) — vel tribus verbis: ut cum velamen positum est super cor eorum; b) derelinquerent Patrem Luminum et adhaererent Auctori Mendaciorum. c)

Ex quo tantopere celebrata, sed falsa, et ideo exitiosa Illuminatio seu Intelligentia cum incantato suo veneni poculo apparuit: loco Praedicationis Verbi divini, plerumque vigent ornatae Orationes, quae ex ambitione vel studio vanitatis dicuntur et saepius nihil aliud continent, quam praecepta prudentiae et quaedam officia in vita sociali servanda, ita, ut denuo resonet quaerela Domini: *ME dereliquerunt Fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas!* d) Historia Revelationis divinarum Consiliorum — lumen et robur largientia Fidei Dogmata solius verae DEI Ecclesiae vix ac ne vix quidem aliqua mentione attinguntur et pro dominante Indifferentismo fere penitus neglecta jacent; verum enim vero absque divinitus revelata Fide in DEUM Creatorem Coeli et Terrae et in JESUM Christum Judicem Vivorum ac Mortuorum Lex moralis non sufficienter agnoscitur qua sanctissima DEI Voluntas, ideoque Peccatum etiamsi ceu grave Malum consideratur, ad illud tamen qua Offensionem vel Injuriam DEO summo Bono illatam ex animo dolendum — homo peccator se nequaquam sentit commotum, ac proinde Poenitentia gravissimis verbis a Christo Domino postulata e) se non indigere opinatur. Tali ratione desertae stant Sellae judicariae Obedientiae, ad quas Misericordia et Veritas obviant sibi. f) ... Coenaculum Regis aeternae gloriae manet vacuum, et Mensa Domini Fortitudinis non occupatur! Profecto de aetate nostra dicatur, quod Jeremias g) de sua quaerebatur: *Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad Poenitentiam provocarent...* *Viae Sion lugent, eo, quod non sint, qui veniant ad solemnitatem.* h) Quod vero miseriam temporis omnibus numeris absolutam efficit, est opinatio et coecitas Spirituum, qua per adulantem et mendacem sui amorem nimium tenti Mala et quidquid in pravitatem vel corruptionem vergit, aut plane non advertunt, aut in suo Animarum somno magnitudinem periculorum neque permittere possunt!

Jam Vos Dilectissimi! qui JESU Christo animos et sensus Vestros fideliter custodistis, vigilate et videte, ne quis Vos seducat i) et corrumpat! Scitis enim, non esse nobis colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus rectores tenebrarum contra Spiritualia nequitiae, in coelestibus.

Utrum et in quantum Corruptio et Morum Depravatio ex Irreligiositate inter Christianos — etiam in nostrum Gregem irrepserit et invaluerit: equidem, cum adhuc parum Meis oculis videre et observare Mihi licuit et tamen judicia Mea in propriam experientiam, in Vestram fidam cooperationem — praeprimis autem in Christi Gratiam innixa esse cupio, nondum par sum decernendo; Vos Ipsi quisque in Sui Muneris relationibus — praemisso absque studio partium examine, cognoscetis et judicabitis, quid timendum aut sperandum sit.

Primum Vos, qui Parvulos, quos JESUM prae omnibus Regno coelorum beans ad SE peramanter vocabat, instituitis et educatis! quomodo eos accipitis ex manibus Parentum? — numquid non solum rudes, ignaros, pronos ad malum et curiose vel lascive facinus meditantes? (quod tristis est haereditas a primis Parentibus) sed et non raro effoeminatos et perperam adsuefactos, familiarem quamdam peccatorum odiosissimorum notitiam secum ferentes, impios sermones et praetextata verba in proximo suo circuitu audita repetentes, formidantes orationem et Religionis doctrinam, quia suos Parentes nunquam vel rarissime orantes viderunt, aut, quia omnis generis convicia a Parentibus coram se facta auribus et animis imbibebant? a Parentibus nempe, qui vanitates suas in suis Liberis tamquam in speculo repraesentare amant et de illorum audacia et contradictionis vel oppositionis spiritu quasi splendidis ingenii et substantialis naturae dotibus gaudere et gloriari solent! Tum Charissimi! absque ullo dubio justa erit Vestra quaerimonia, quodsi alias ponderosa officia, quae per Institutionem et Educationem pueritiae vel juventutis — spei Posteritatis patriae — Vobis injunguntur, adcurate impletis, et non fortassis tepide aut negligenter Scholam frequentatis, et hoc, quod in praescripto Catechismo vel Libro continetur, non dicam — non in medium vel cursim et breviter adfertis, sed non in succum et sanguinem tam Parvulorum quam Vestrum convertitis.

a) II. Timoth. 4, 3, 4. b) II. Corinth. 3, 15. c) Joann. 8, 14. d) Jerem. 2, 13. e) Luc. 13, 3, 5. f) Psalm. 84. g) Thren. 2, 4. h) Thren. 1, 4. i) Marc. 13, 5.

Vos autem, qui vocati estis ad Verbum DEI ex sacro suggestu praedicandum, ad Fidei Dogmata explananda et per ea — Praecepta moralia fulcienda! quam frequentiam Auditorum deprehenditis et quibuscum animorum sensis audimini? Vacaturne Sermoni Vestro cum humiliatione et timore DEI? Percutiant Peccatores pectus suum finita concione contriti et concipiunt firmissimum Propositum: veram agendi Poenitentiam? Lucrantur Dictiones Vestrae Juvenum et Virginum animos pro necessariis aequae ac salutaribus Castitatis, Modestiae, Temperantiae et Industriae Virtutibus? Roborantur Moesti vel Tristes in sacro amore erga crucifixum Mundi Salvatorem, et in constanti patientia per exemplum Beatissimae Virginis et Matris Dei Mariae et supernorum Sanctorum Civum? Agnoscunt Superbi suam miseriam et inanitatem, dum ipsis monstratis omnium rerum temporalium vanitatem? Horrent Injustus et luxuriose Vivens futurum Judicium seu novissimam Diem? et pudet Avaram turpissimi Foenoris sui? Cogitur Spiritus, qui nimis libere cogitans, *ex adverso est*, Vos aestimare, quia, *verbum sanum et irreprehensibile* veretur, *nihil habens malum dicere* de Vobis? a) Quodsi et sicubi ita non foret, an non serio Vobis esset consultandum: quomodo et quibus auxiliis Malo medelam adferre vel praevenire possitis? Non teneremini cum contritione et humilitate qua Mediatores inter DEUM et acquisitionis Populum b) ad Dominum Miserationum clamare? *Parce Domine! Parce Populo Tuo, et ne des haereditatem Tuam in opprobrium*, atque in EO firmius confidere? quod vero Vestris monitis, adhortationibus et doctrinis efficere haud valetis, assidua oratione ac praecipue bono Exemplo Vestro assequi studere? Experientia illorum Fidei Praedicatorum et Confessorum Christi, qui contra aeternae Veritatis Adversarios, adversus carnem, mundum et diabolum dimicarunt et Victores manserunt, sole clarius comprobant efficacitatem Regulae a St. Carolo Borromeo unicuique Concionatori praescriptae: *Ad DEI Omnipotentis Gloriam, ad Animarumque salutem — omnem concionandi vim ac rationem referendam — non modo virtutum armis se communiat, sed assidua prece et jejuniis frequenti — Dei auxilium implorabit ad impetus hostium adeo importunorum repellendos. Haec supplex continenter petet, et divino adjumento, propriae laudis aut gloriae non modo studio sed ne opinione quidem efferatur nullamque plane rationem habeat.* (in Concionat. Instruct. Coloniae 1587.)

Inprimis obsecrare et obtestari Vos omnes; ne sequeremini illam falsam — etsi more receptam et ubique laudatam prudentiam, quae omnia promiscue ac temere metitur ex vulgari et trita Enunciatione ceu infallibili axiomate: oportere se accommodare saeculi vel aevi Genio et ad opinionem publicam dirigere! quasi sal terrae non in semetipso suam salutarem vim haberet! quasi Christus Dominus, *Qui heri, hodie Ipse et in saecula*, c) non arctam viam — in oppositione ad spatiosam — qua viam ad Coelum designasset et frustra dixisset: *Regnum Coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud!* d) — quasi Ipsius Oratio: *Confiteor Tibi Pater Domine Coeli et Terrae, quia abscondisti haec a Sapientibus et Prudentibus et revelasti ea parvulis*, e) non fuisset exaudita et ad suam duntaxat Personam pertinuisset! quasi Ipsius in terris Vicarii non amplius digito DEI — Regnum Mendacii et Peccati evertere juberentur! quasi opus foret praevia constitutione, artificiosa persuasione et sensus mulcentibus lenociniis, dum — vel ubi agitur de Veritate — *quae gladius utraque parte acutus* f) — hominum animis inserenda! quasi vera prudentia, quae omnino inter primas cujusvis Sacerdotis virtutes refertur, praeter indigentias Animae ad ejus conditionem, defectus et vitia respicientes — etiam ad arbitratum libidinem - mutabilitatem - arrogantiam - mollietatem et nugatorias consuetudines rerum terrestrium Studiosorum esset extendenda, ne forte immaturo vocatu ad Poenitentiam, importuna exhortatione ad bona Opera et seria monitione de fine hominis (qui pulvis est et in pulverem revertetur) offonderentur, in suis quibus fruuntur voluptatibus interpellarentur, et in tristitiam, quae salvare posset Animam, adducerentur! — Christianos Presbyteros et Animarum Curatores primorum Saeculorum, quibus ipsi hodierni Ecclesiae catholicae hostes eorumque Scriptores spiritum bonum, quamvis captiose concedunt, se in rebus Fidei ac Morum per Fidem sancitorum nequaquam accomodasse ad illorum Genium vel publicam Opinionem — luculentissime demonstrant multa Millia Martyrum, qui tradiderunt corpora sua propter DEUM ad supplicia et Fidei suae veritatem editis pluribus miraculis suo sanguine obsignarunt. Quid? Si Sancti DEI, quibus

a) Tit. 2, 8. b) I. Pet. 2, 9. c) Hebr. 13, 8. d) Matth. 11, 12. e) Matth. 11, 25. f) Apocal. 1, 16.

Lux perpetua lucebit et aeternitas temporum, si publicae Opinioni et Genio sui saeculi ita, ut aetate nostra depravatis — non restitissent: quomodo nam granum sinapis, quod acceptum Dominus misit in hortum Suum, crevisset et factum esset in Arborem magnam? a) Persuasum Vobis velim habeatis Dilectissimi! Vos ab hominibus Mundo addictis tantum contemni, quantum illorum ingeniis et opinionibus, argutiis et cupiditatibus obsecundatis ipsisque nunquam satisfacturos — quid? quod Nominis Vestri obtreptione per culpam Vestram adscita — non habebitis solatium a JESU Christo promissum: *Gaudete et exultate, quoniam merces Vestra copiosa est in Coelis* b) — immo poena Proditorum immortalium Animarum et Sanguinis Christi Vos maneret atque ante Tribunal Domini, a quo unicuique nostrum dicitur: *Redde rationem villicationis tuae* c) — in Vos caderet aeternum crucians criminatio: *Si videbas furem, currebas cum eo et cum Adulteris portionem tuam ponebas.* d)

Ut igitur cum fructu in Vinea Domini laboretis, audite sancti Cardinalis Caroli Borromaei Monitum (in supra memorato Tractatu) quod tota mente Vobis commendo: *Instruat autem atque exornet (Dictionem vel Concionem) non verborum vel lectissimorum inani sonitu et sermone nimis elaborato et pene calamistrato ac fucato, quo nihil potest esse infructuosius, sed gravi plenaque Sanctae doctrinae ac referto disciplina, quae vere christiana praestansque sit ad Salutem . . . Fati, Fortunae, Infortunii Nomina aliaque id generis ab Ecclesiae usu jam pridem explosa — omnino cavebit . . . illa tantum sola proferre studebit, non quae, qualis, aut quantus ipse sit, declarent, sed quae Audientibus salutariter profutura sint.*

Si vero jam illi, quibus propriè Christus Dominus inclamat: *Vos estis Lux Mundi — Vos estis Sal Terrae!* e) Verbo Vitae immortales Animas doceant et reapse illuminent, ut Salutis viam inveniant et in ea secundum iudicia Justitiae tamdiu provectae ambulent, donec formetur Christus in eis f) — si Praedicatores solius salvificae Fidei omni cura et studio a noxio influxu et vi Genii aetatis nostrae — se custodire debent: quanto magis haec custodia et falsae prudentiae, ignavae facilitatis vel conniventiae et timoris hominum devitatio a Vobis exigenda erit, Qui vocati estis ad Officium in gravissimo Poenitentiae Iudicio Peccatores DEO reconciliandi et amissam sanctificantem Gratiam retribuendi, quandoquidem Peccata sua Confitentes a Confessario tanquam a Patre, Medico, Iudice et Amico consilium, veniam reatus, medicamen et consolationem expectant! Qua occasione unumquemque Vestrum moneo cum Sancto Paulo g): *Tu autem loquere, quae decent sanam doctrinam: Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia; Matres familias secundum ejusdem Apostoli Monitum: ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum DEI; Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint . . . Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri DEI ornent in omnibus. . . . Abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo; expectantes beatam spem et adventum gloriae magni DEI et Salvatoris nostri JESU Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et manderet sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Has observationes ante oculos, Charissimi! nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex DEO sint h) — perscrutemini Vestrum cogitandi et agendi modum et iudicium de Vobismet Ipsi non timete, recordantes Effatum apostolicum: *Quodsi nosmet ipsos dijudicavimus, non utique dijudicavimus;* i) non excusate cum punita Heli lenitudine defectus seu vitia Loci, Temporis et Communitatis, cujus cura in quocunque Munere Vestro ad Vos spectat; qua Servi mitis et humilis corde Salvatoris et Magistri, Qui elata ad Coelum voce dixit: *Nemo bonus, nisi solus DEUS* k) — qua Filii Patris coelestis ex omni parte perfecti — et vocati ad participandam claritatem Christi nunquam simus nobiscum contenti, sed cum Apostolo tantum in infirmitatibus gloriemur, ut inhabitet in nobis Virtus Christi l) Aperite corda Vestra benevolentissimis exhortationibus et deprecationibus Meis, et (liceat mihi verbis Sti Leonis uti) m) *credite ipsum Vobis loqui, Cujus vice fungimur, obsecrantes: ut succincti lumbos mentis Vestrae castam et sobriam vitam in timore DEI ducat*

a) Luc. 13, 19. b) Matth. 13, 12. c) Luc. 16, 2. d) Psalm. 49, 18. e) Matth. 13, 14. f) Gal. 4, 9. g) Tit. c. 2. h) I. Joan. 4, 1. i) I. Corinth. 11, 31. k) Luc. 18, 19. l) II Corinth. 12, 9. m) S. Leo serm. 2.

tis, nec concupiscentiis carnis mens principatus sui oblitus, consentiat. Brevia et caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum, quae ad Aeternitatem Vocatos a semitis vitae conantur avertere. Fidelis ergo et religiosus animus ea, quae sunt coelestia, concupiscat et divinarum possessionum avidus in amorem se incorruptibilis Boni et in spem verae lucis attollat.

Sine intermissione vacate cum fervore Orationi generatim ac speciatim Orationi Breviarii, quod, utpote ab Ecclesia mandatum sub nullo praetextu omittatis. Absit a Vobis illius institutionem et distributionem cum vesanis nostrorum dierum Argutoribus more tepidorum, perfidorum et praejudiciis captorum sacerdotum — maligna censura perstringere, persolvite illud in sacra obedientia et semper magis magisque intelligetis, quam conveniens et salutaris ordinatio hujus orandi modi, *quam bonus et suavis sit Dominus. a)* Cogitate, quam tranquillitatem, consolationem et exhilarationem animis Vestris adferat Oratio, si segregati a Peccatoribus *b)* in partem sortis Sanctorum in lumine *c)* et a Mundo graviter vexati cum tot orthodoxis et piis Sacerdotibus Una voce et lingua et mente cum ea concordante Dominum invocatis, Ipsi, Qui se in Orantium Medio esse dixit, gratias agitis, Ipsum collaudatis, et ut remissionem peccatorum accipiat, petitis — Considerate et perpendite cum omni intellectu: orationem nostram sensuali ac arbitrario impulsu levatam — DEO, Qui corda novit omnium et omniscius eadem scrutatur, non placere — neminem posse dicere: Dominus JESUS — nisi in Spiritu sancto *d)* et hunc in nobis debere orare gemendo; *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed Ipse Spiritus postulat pro nobis — gemitibus inenarrabilibus e)*, quod tamen nequiquam fiet, si per inobedientiam erga Ecclesiam, quam Spiritus sanctus regit, Eidem resistimus; sic ignis, seu tenuis ardor naturalium sensuum — holocaustum accendere nequit metuendumque, ne nobis accidat, quod legitur in Libro Levitici *f)*: *Arreptisque Nadab et Abiu Filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat. Egressusque ignis a Domino devoravit eos et mortui sunt coram Domino.* Excusationes: orationem impediri negotiis et laboribus . . . inutiles et vanae sunt cogitationes — Intra viginti quatuor horas, existimo, oporteret tamen DEO Consecratos aliquo tempore cum Domino tota mente loqui velle, non solum ad acquirendum animi robur et recte perspiciendum, quid sanctissimo DEO beneplacitum et tamstrarum quam Aliorum Animarum Saluti sit proficuum et qualis labor meritum contineat aut frustra insumatur, sed ut etiam ad laborem et opus operandum amore sacro repleantur. Scitis enim Dilectissimi! quas Ecclesia poenas dictaverit Officium divinum Negligentibus vel Omittentibus, et quam facile ex ejus neglectu etiam neglectus aliorum Officiorum implendorum prodire soleat; nec ignoratis illum, qui DEUM amat, libenter ac sponte oratione sua se ad Ipsum vertere, qui vero id facere omittit, eum quoque in Amore DEI esse tepidum.

Ita Orationi simulque Meditationi assuefacti Mysteria DEI, quorum Dispensatores sumus, *g)* id est Sacramenta ceu spiritualia Medicamenta a peritissimo Animarum Medico confecta certo administrabitis illa intentione, qua Ipse et Ecclesia — ea a nobis administrari volunt, et non perfunctorie vel praecipitanter administrabitis, sed in eorum administratione diligentissime attendetis: ad DEUM, ut glorificetur — ad Sacramentum, ut rite perficiatur — ad Subjectum, ut sanctificetur — ad Praesentes vel Adstantes, ut pie moveantur et aedificentur — ad Vosmet Ipsos, ut DEI Gratia in Vobis augeatur — semper memores tam doctrinae sancti Pauli: *h)* *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in Nomine Domini JESU Christi,* quam sacri Concilii Tridentini, quocumque *i)* *necessario fateamur, nullum aliud opus tam sanctum ac divinum a Christi Fidelibus tractari posse, quam . . . tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua DEO Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur, ideoque k)* *Sacrificium Missae omni religionis cultu ac veneratione est celebrandum . . . omnisque opera et diligentia in eo ponenda, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate atque exterioris devotionis ac pietatis specie peragatur.* Nullus igitur Sacerdotum absque sedula et devotissima praeparatione ad Altare DEI accedat vel introeat, quemadmodum etiam humillimam gratiarum actionem pro Bonis in Animam et Corpus ex eo redundantibus nullus levi, ut dicitur, brachio excutiat, necui nostrum

a) Sapient. 12, 1. *b)* Hebr. 7, 26. *c)* Coloss. 1, 12. *d)* I. Corinth. 12, 3. *e)* Rom. 8, 26. *f)* 10, 1, 2. *g)* I. Corinth. 3, 1. *h)* Coloss. 3, 17. *i)* Sess. 23. *k)* Eadem Sess.

applicari possit, quod scribit sanctus Bernardus: *Quomodo Christum tam cito peras? Plus Christus te docebit, quam omnes Libri, plus delectabit, quam ofastidis? Quid pro-*

Oratione et Ministerio Vestro finito ac perinde otium opportunum Amici.

necessaria scientia et quidem illa, quae non inflat sed revera spiritum Vestrum nacti, locupletate Vos — benignissimo Bonorum omnium Largitore non paucis Talenti esse um illuminet. Vos a DEO in Domino vehementer; verum rogo et obtestor Vos, non cessate — adtatos probe scio et gaudeo gelio a) talenta plura lucrari et aemulantes charismata meliora, b) solumplum Servorum in Evan-
Arma Militiae nostrae non carnalia, sed potentia DEO ad destru- studio Vobis comparare
struatis consilia et omnem altitudinem extollentem se adversus Sciẽm munitionum, ut de-
tatem redigatis omnem intellectum in obsequium Christi in promptu hanc DEI et in captivi-
obedientiam, cum impleta fuerit Vestra obedientia, c) ut qua fideles Sēs ulcisci omnem in-
 minus super Familiam Suam, in tempore tentationis et periculi ab ea seu ab Ipsius Grege lupos ra-
 paces prohibeatis et *Regem Angelum Abyssid)* acriter intuendo — Plenos dolo et fallacia et Inimi-
 cos omnis Justitiae, *qui subvertunt vias Domini rectas, e)* apostolica virtute vincatis. Haurite scien-
 tiam e puris et genuinis fontibus, non ex cisternis situm redolentibus et sibimet effossis, *de qui-*
bis non exeunt aquae vivae f) vel, ut Sanctus Joannes id exprimit: *g) quae non habent aquam*
vivam. Magna nobis divina ope, copia est optimorum catholicorum Librorum et Ephemeridum
 diversis titulis et tractatibus *Fluvium Aquae Vitae ostendentium h)* — hos sine periculo — legite at-
 que perlegite, et (Verba St. Maximi Taurinensis Homilia 9. Mea facio) *per religiosi itineris vias*
ac Veritatis semitas, quas universa tenet Ecclesia, gradientes, magis magisque Haereticorum
devia et diabolica calcate figmenta. Inprimis — praeter Librum Librorum: Biblia sacra (vulga-
 tae et ab Ecclesia approbatae Editionis) Codicem nostrum, cum *omnis Scriptura divinitus inspira-*
ta utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in Justitia i) —
 Vobis familiares fiant ejusdem orthodoxae Interpretationes et Homiliae, sicut eas asservat Ecclesia DEI
 vivi, *Columna et Firmamentum Veritatis, k)* Maxime (scribit St. Carolus Borromaeus loc. cit.) si-
 bi quisque veteres Patres proponat, quorum in dicendo virtutes sequatur: Gregorii Magni et
 Chrysostomi disciplinae moralis copiam, Leonis Magni et Basilii gravitatem, Nazianzeni vim,
 Nissenii subtilitatem, Augustini acumen, Ambrosii temperatum dicendi genus, Bernardi dulcem
 devotamque orationem etc.; sed discite eorum aliorumque sanctorum Patrum Operibus recte uti, sa-
 cramque Scripturam secundum unanimem illorum consensum interpretari; si enim in iis Contenta cum
 spiritu privato et secundum regulas profanae Exegeseos explicabitis, divinam Evangelii vim nequa-
 quam experiemini, neque *aliorum oculos aperietis, l)* ut *convertantur a tenebris ad Lucem et de*
potestate Satanae ad DEUM. Ante omnia studete Sapientes fieri — contemplando Vitam et Pas-
 sionem Domini nostri JESU Christi, ut cum gentium Apostolo *non judicetis Vos scire aliquid —*
nisi JESUM Christum et hunc crucifixum; dignique inveniamini consolatoria Ipsius Promissione:
Qui confitebitur Me coram hominibus, confitebor et Ego eum coram Patre meo, qui in coelis
est. m)

Cum sensu et pietate prolium seu infantum veneremini Matrem misericordissimi Amoris:
 Reginam Coeli! nam *multi Seduciores exierunt in Mundum, qui non confitentur JESUM Chri-*
stum venisse in carnem n) — suntne Matrem DEI non Venerantes in Fide, quae incarnationem
 Domini nostri credere praecipit, firmi? — Manifestate proinde Venerationem et firmam Fidem Ve-
 stram — Ipsius et Sanctorum — praecipue hujus Regni Patronorum, *qui in nostris domiciliis pro-*
prrium sanguinem fuderunt, o) Virtutes imitando et de ipsis frequenter ad devotum Populum ser-
 monem faciendo. Quid enim sermo Vester prodesset, nisi eidem Vita Vestra responderet! Clerus
 debet, inquit St. Bernardus, *p) pascere Gregem tripliciter: exemplo conversationis, verbo praedi-*
cationis, et fructu orationis, et pascere ad Mandatum Christi, ut nemo hunc sibi assumat hono-
rem, et Sanctus Carolus Borromaeus q): Quemadmodum in Arca Testamenti duo illi Cherubim ita
collocati erant, ut semper mutuo se aspicerent: ita vita Concionantis — doctrinae ex altera par-

a) Matth. 25, 16. 17. b) I. Corinth. 12, 31. c) II. Corinth. 10, 4. 5. 6. d) Apocal. 9, 11. e) Act. 13, 9. f) Zachar. 14, 8. g) 4, 11. h) Apocal. 22, 1. i) II. Timoth. 3, 15. k) I. Timoth. 3, 15. l) Act. 26, 23 et ibid. 19, 13. m) Matth. 10, 32. n) II. Joann. 7. o) St. Ambros. Serm. 6. de Sanctis. p) De Vita et Moribus Clericor. q) Loco supra citato.

usque adeo, ut et vitam doctrina collustret et doctrinam rursus vita cor-
te respondere debet perpetuo addat. Nam de Abstinencia, Jejunio, Lachrimis, Oratione, Elee-
boret viresque eidemque christiana Virtute cum concionatur, magnum certe pondus maxi-
mosyna, Patientia alia Auditores habet, si in omni ejus vita Virtus elucet, cujus praecepta
numque momentum apudari prius oportet quam mandare, inquit beatissimus Pontifex Grego-
concionando tradit. Concionator singulari vitae innocentia, moribus sanctissimis et divi-
rius Magnus. Erit igitur . . . timore DEI, terrenarum despicientia, Animarum Salutis Zelo, lu-
nis virtutibus instructus patientia, charitate, caeterisque religiosae disciplinae ornamentis bene
militate, mansuetudine, fastidium atque arrogantiam valde cavebit. Quae saluberrima divi
munitus . . . super Ipsi cogitatione percipietis Dilectissimi! non tantum Concionator sed quis-
que Sacerdos quocunque munere et dignitate constitutus sibi putet observanda.

Ad Perfectionem in mox memoratis virtutibus et per eam ad Perfectionem, quam Domi-
nus noster nobis praecipit: *estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* a) tutissime
adipiscendam — Conscientias Vestras, quas ab omni labe puras servare oportet, super vitae Statu
omni die examine, et quoties Animarum Vestrarum indigentia exigit, demississima peccatorum con-
fessione ad Tribunal Poenitentiae purificate, ne mortali culpa affecti, Spiritum Sanctum contriste-
tis et minacem illam Prophetiae objurgationem mereamini: *Peccatori dixit DEUS: Quare tu enar-
ras Justitias meas et assumis Testamentum meum per os tuum — tu vero odisti disciplinam
et projecisti sermones meos retrorsum.* b) *Quid tam sacerdotale — exclamat sanctus Leo* c) —
*quam revere Domino Conscientiam puram et immaculatam pietatis hostias de altari cordis of-
ferre!*

Sed et Externa, quae passim nomine Decori comprehenduntur, pari sollicitudine curanda
sunt et fovenda — atque inter haec — praeter continuo servandum Domus DEI et sacrae suppellec-
tilis seu ecclesiasticorum utensilium munditiam et religiosarum Communitatum Clausuram omni tem-
pore ac modo provide tuendam — quod attinet ad Status clericalis insignia — nimirum utriusque
Cleri vestitum et habitum, tonsuram et alia ejusmodi, quorum legitimum sive intra-sive extra do-
mos et monasteria usum vani Amatores Mundi et perversi Genii aevi Asseclae plerumque nugas vel
minutias adpellant, ac si nescirent, his insignibus non solum Militiam Christi ab humana secerni
sed regalis etiam Sacerdotii dignitatem nobis in memoriam revocari — Vos in Christo Dilectissimi!
ne lato quidem ungue ab eo recedatis, quod in sacris Canonibus, Legibus dioecesanis, Ordinum
Statutis et Ipsius religiosissimi Imperatoris ac Regis nostri Francisci I. Edictis praescriptum legitur,
ut per decentiam habitus extrinseci — morum honestas intrinseca ostendatur et Sacerdos vel Cleri-
cus servire DEO — non Mundo — internoscatur. *Quid enim tam regium, ait St. Leo, d) quam
subditum DEO animum — corporis sui esse Rectorem!* et St. Bernardus: e) *Non aliud abscon-
das intus et aliud ostendas foris — non sis alius in secreto, alius in publico — qualis vis ha-
beri, talis esto — qualis es in vultu, talis esto in actu.* Neque ullum dubium est, quin Contrave-
nientes vel pedes in diversis ponentes — unum in divinis alterum in carnalibus f) — indigna se
monstrent status Clericalis Membra, et dum in perverso cogitandi modo sibi Assentientibus placere
affectant, praeclaram Bonorum aestimationem deperdant, et eorum corda scandalizant, secum neuti-
quam reputantes: quod ex irrevocabili Decreto Sacri Concilii Tridentini g) cui parere conscientia
obstringimur, omnes ecclesiasticae Personae quantumcunque exemptae, quae aut in Sacris fue-
rint, aut dignitates, personatus officia aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si,
posteaquam ab Episcopo suo, etiam per Edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum
clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem et juxta ipsius Episcopi ordinationem et
mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio et Beneficio, ac fructibus,
reditibus et proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non si semel correpti, denuo in hoc de-
liquerint, etiam per privationem Officiorum et Beneficiorum hujusmodi coerceri possint et de-
beant.

a) Matth. 5, 48. b) Psalm. 49 — 16. c) Serm. III. d) Serm. III. e) Loc. sup. cit. f) Verba S. Concil. Trid. sess. 14.
c. 6. g) Sess. 14, c. 6.

Qua Dispensatores Mysteriorum DEI, exhibete Vos sicut Dei Ministros *b)*, qui ministerii *ini deat* nullam offensionem, *a)* in omnibus tis implent. Quaerite errantes vel declinatas *p*um cum gaudio et conscientia rectae voluntatis et non imprudenter praestolemini, donec Vos *ae* Vestrae Oves — cum boni Pastoris amore, ferte Vos in Ecclesiam ad rite adaptatum locum — Statutis horis (invocato Spiritu sancto) conetiamsi non vocamini. — Pater perdit filii vigilavit, *quo* Poenitentium Confessiones excipiuntur, viscera Misericordiae Domini nostri JESU Christi — *oviam* occurrit, *c)* quo obtutu Vos per — exhortamur, ut quemadmodum Vestrum Officium *um* verbis Sancti Caroli Borromaei *d)* ad Animarum Salutem usque adeo pertinet, summa *irit*, hac in causa et negotio, quod perari velitis Nostramque Intentionem — in eo positam, ut *tia* Nostrae Sollicitudini coonus Nobis regendum tradidit, in viam Salutis commode dirigis christianus, quem Domi deatis. Prompto et Parato animo Confessarii accedant evitentque *adivili* promovere stum ad subterfugiendum laborem, ne submoveant intempestive Venientes ad se confitendi gratia, sed neque signo aut verbis ullis praeseferant aegre se gravatoque animo Confessiones excipere, quin potius ita se comparent, ut intelligant Poenitentes, eos (Confessarios) salutis eorum causa — multum solatii et gaudii ex iis laboribus haurire. Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne Poenitentes excusationem justam praetendere possint, se non esse confessos. —

Cum eadem prompta voluntate visitate frequenter Infirmos — etiam SS. Sacramentis jam provisos, non ignorantes, quot tunc demum serio Poenitentiam agant aut agere parati sint, dum lecto adfixis hora mortis adpropinquat. Praelucete Curae Vestrae Comissis, quantum potestis, ad omne opus Misericordiae tam spirituale quam corporale, secus prae caeteris — Vobis venturus Iudex diceret: *Infirmus eram et non visitastis me. . . . e)*

Qua Ministri Ecclesiae super candelabrum positi, factique forma Gregis, Ecclesiae Praeceptorum (inter quae Praeceptum quoque de Jejuniis comprehenditur) stricte observandorum necessitatem utilitatemque Parochianorum Vestrorum animis uberrima explicatione imprimere non intermittite.

Erga saeculares Praepositos et sublimiores Potestates utpote a DEO ordinatas *f)* perseverate bona conscientia in debita subiectione et obedientia et praeprimis in fidelissima adhaesione ac devotissima observantia erga Patriae Patrem: Imperatorem et Regem nostrum, cujus (adhaesione et observantiae) eximiis speciminibus — quando - et ubicunque edendis Vos et universa Natio Bohemica nulli Clero ac Populo amplissimi Imperii Sui cedere consuevistis. Demonstrate justissimo ac piissimo Dominatori, Qui pro Sua innata atque insita Religiositate Vos et sacrae Religionis nostrae Ministros generatim tueri ac fovere non desinit, et me (non possum non fateri publice) jamjam a coepto ecclesiasticae vitae meae curriculo summa Sua dignatur Clementia, hunc filialem Affectum Vestrum perpetuo Mecum ferventissimas quotidie ad DEUM fundendo Preces pro Ipsius et totius augustissimae Austriacae Domus longaeva Incolumitate et felicissimo Regimine!

Vos, inter Archidioecesanum Clerum Meum vel maxime probato pro Domo DEI zelo, singulari prudentia, consiliorum et iudiciorum maturitate et in tractandis negotiis ecclesiasticis solertia aequae ac dignitate Vestra insignitos Amplissimos, Reverendissimos semper fidelis Capituli et sacrae Ecclesiae Metropolitanae Praelatos et Canonicos - tum Vos in omni virtutum genere non minori laude florentes Ecclesiarum Collegiatarum R. R. Dignitarios et Canonicos — et Vos Plurimum Reverendos Vicarios foraneos, Qui Oculus Meus et Manus Mea estis - nec non Vos, Qui in antiquissima et celeberrima Universitate aliisque saecularibus et ecclesiasticis aut monasticis Archidioeceseos Meae Institutis — scientia vera, solida et sana doctrina, exemplari vita et rerum agendarum peritia Venerabiles evasistis — Vos cunctos et singulos *Adjutores Meos in Regno DEI g)* — enixissime oro: ut unitis viribus *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi h)* Mecum collaboretis et religiosa Officiorum Vestrorum executione pastorem Sollicitudinem Meam sublevetis.

a) II. Corinth. 6, 3. *b)* Ibidem. *c)* Luc. 15, 20. *d)* Tractat. de ratione Confess. Sacramentum administrandi. *e)* Matth. 25, 43. *f)* I. Petr. 2, 13 — 17. *g)* Coloss. 4, 11. *h)* Ephes. 4, 12.

Ad Vos Aestimatisimos Viros, ^{a)} *convertam, est necesse, cum secundum Sacri Con-*
liari quodam desiderio eoque ardentissimo cordi sit, quam Cura de recte atque ordine instituta
cilii Tridentini Decretum a) nihil magis forum in Vinea Domini Operariorum. Omnia proinde,
Plantatione adolescentium Germinum forum comodo inserviant, Vobis ante oculos ponendo,
quae praesentibus Litteris Meis contali non minus animi quam ingenii culturae Alumnorum Vo-
diligenter, quaeso, recolite, et vereantia sancta et solida imbuentes, mutuae, non fictae charita-
bis creditorum sedulo studete, eoties et ad perseverantem pietatem in DEUM Ejusque Eccle-
tis fervorem verbo et exeg conscientia ad opus Ministerii, ad quod vocabuntur, manus impone-
siam informantes, ut ipsis conatibus ex Educationis clericalis Domo Archidioecesis Mea Pra-
gensae malestam Sacerdotes, qui recte non solum dici possint, sed et opere se exhibeant Fidei
columnas, duces et pastores Gregis dominici, Ecclesiae Christi custodes, fideles Mysteriorum DEI
dispensatores, indutos justitia, innocentes manibus et mundo corde b), Sacerdotes sine macula, vo-
luntatem habentes in lege DEI c) et, dicente St. Gregorio Nazianzeno, non ambientes Sacra-
rium, ac si existimarent non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem et subsidium
esse Ordinem sacerdotalem; neque commendatitii aliorum patrocinii aut gloriae inanis adpetentes.
— Vos autem Filioli Mei! obedite Praepositis Vestris et subjacete Eis. Ipsi enim pervigilant,
quasi rationem pro Animabus Vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes;
hoc enim non expedit Vobis. d)

Atque sic, confidentes in Gratiam JESU Christi et arctissime conjuncti illo Uno DEI Spi-
 ritu et illa Una summi Pastoris Christi Doctrina, quibus non solum singulae actiones sed etiam co-
 gitationes nostrae ad divini Nominis Gloriam, ad orthodoxae Fidei et charae Patriae Praesidium —
 ad sacrosanctae Religionis catholicae Incrementum, et ad aeternam Animarum nobis creditarum Sa-
 lutem certo certius diriguntur, Vineam Domini secundum suprema Ipsiusmet Mandata excolere ac
 impertaesi pondus dici et aestus portare e) volumus, et Deus, Qui, St. Augustino Teste, f) opera-
 tur in Suis et velle et perficere pro bona voluntate, etiam Operi Suo, ad quod assumpsit nos, non
 deerit perficiendo. g)

Quapropter aperto huic sinceræ mentis Meae Edicto finem quidem imponens, animum ve-
 ro meum in charitate erga Vos infixum — unicuique Vestrum jugiter addictum gerens, id solum
 adhuc habeo in Votis, quod sanctus Leo, magnus Ecclesiae Doctor et Pastor in Epilogo sui primi
 sermonis verbis adeo divinis expressit:

Praestet in commune nobis omnibus Pacis Bonum, Qui nobis unanimatis studia in-
fudit, ut omnibus diebus vitae meae in Omnipotentis DEI servitium et ad Vestra paratus
obsequia — cum fiducia possim Dominum deprecari: Pater Sancte! conserva eos in Nomine
Tuo, quos dedisti mihi, semperque proficientibus Vobis ad Salutem — magnificet Anima mea
Dominum et in futuri retributione Judicii ita mihi apud justum Judicem Sacerdotii mei ra-
tio subsistat, ut Vos Mihi per bona Opera Vestra sitis Gaudium, Vos Corona, qui bona vo-
luntate sincerum praesentis vitae testimonium praestiteritis.

Ad horum votorum metam adspirantes Apostolicam Benedictionem

Nostram Vobis Omnibus in Domino impertimur.

Ex Residentia Nostra Archiepiscopali Pragae Bohemorum Anno reparat. Sal. 1834.



ANDREAS ALOYSIUS,
Princeps Archiepiscopus.

a) Sess. 23. c. 18. b) Psalm. 23. c) I. Machab. 43. 42. d) Hebr. 13. 7. e) Matth. 20. 42. f) Serm. 256. de Tempore
 — Philipp. 2. 13. g) Joan. 4. 34 et Act. 13. 2.